DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE RABIE VULGÒ DICTA HYDROPHOBIA. QUAM, PRÆSIDE...



DEO

ET

PATRIÆ.

...TATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RABIE
vulgò dicta
HYDROPHOBIA.

THESIS I.


Rabies vulgò vocatur Hydrophobia, ſed valdè impropriè, à Græc. ὕδωρ aqua, & φοβέω metuo, latinè *metus aquæ*; quo ſi quis corripitur, à rabido ſcil. cane demorſus, appellatur *Hydrophobus*. German. Der von einem Tollen hunde gebiſſen iſt.

II.

Quamvis autem omnis generis animalia etiam rabie tententur; attamen hîc ſolùm de rabie, vulgò vulnus à cane rabido inflictum ſubſequente, ſum acturus; quæ ſolet eſſe frequentior. Et ſine dubio omnis rabies à quocunque animali communicata eiſdem circiter remediis curatur; quæ infra ſum præſcripturus.

III.

Contrahitur verò rabies hæc à ſaliva canis rabidi partem aliquam noſtri corporis contingente, aut cum aut ſine vulnere; vel etiam generatur per inſpirationem ſpiritus è pulmonibus rabioſi canis egreſſi, ſaltem frequentem & in loco concluſo; vel per inſenſibilem tranſpirationem, decumbendo ſuper eiſdem ſtragulis, quæ Hydrophobo ſubſtrata erant, vel induendo ejuſdem veſtimenta.

IV.

Et quidem si parti vulnere dilaceratæ saliva inhæret, mediantibus particulis viscosis & ramosis; maximam partem spumæ, canis os obducentis, constituentibus; illa indè raò devolvitur in sanguinem ante tricesimum diem à die morsus, interdum etiam post annum, imo demum post quinquennium & plures annos venenum hoc sese manifestat, utut efficax illud postea deprehendatur. Et licet venenum per tot annos in corpore sine ullo sui indicio delitescere possit, nihilominus tamen per aërem à canis rabidi exspirationibus vitiatum rabies introduci potest, si ille à quodam nostrûm inspiretur. Vid. *Schenk. lib.* VII. *Observ.* IX. *in princip.* Vel si saliva canis rabiosi tantum superficiei corporis, etiam sine ullo vulnere, adhæreat; tamen homo in rabiem agitur, nisi in tempore remediis convenientibus sibi prospexerit.

V.

Mira itaque communicati hujus veneni videtur esse natura, & quidem nonnihil diversa respectu diversarum causarum in eodem animalium genere, ut canibus, qui quoties fame stimulantur, devorant omnia quæcunque offendunt, etiam illa quæ ipsis antea fastidium afferre solebant, ita ut ab Auctoribus memoriæ sit proditum, canes valdè famelicos menstruum sanguinem mulierum lambitasse, indeque in rabiem esse versos. An autem hic in omnibus canibus & semper rabiem excitare valeat, & in illis quoque qui omnis generis alimentis, quibus nos vescimur, aluntur, an in quibusdam & aliquando tantum, determinari nequit, nisi accurato hujus rei præmisso examine. Fortasse unicuique est notum, canes in eodem lecto cum hominibus cumbentes & stragulis benè fotos, ita ut incalescant, certum quid spirare ingratum, præsertim majores (quia illorum exhalationes majori vi & copia per poros erumpentes, nares magis afficiunt:) quod ab illis, qui ex libero aëre ad lectum accedunt, maximè percipitur. Unde inferre licet, sanguinem humoresque canum à sanguine humano esse diversos: & cum sanguis menstruus ratione pororum à certo æthere Lunari, cujus influxu majorem motum illè concipere consuevit, nonnihil sit immutatus, necesse est ut inter hunc & sanguinem caninum diversitas adhuc sit major. Præterea canes odoratu solo dignoscentes herum suum, etiam inter aliquot millia hominum latentem, confirmant diuersitatem sanguinis

[...] Cum enim particulæ per poros corpo-[...]pirantes sint diversæ ab humoribus per tubulos [...]orii canis continuè fluentibus, illæ etiam diversum à [...]cto motum fibrillis nervi olfactorii canis imprimunt, qui motus cum à nemine excitetur, nisi à solo hero, causa est cur canis illum à tot millibus hominum dignoscat. Quandoquidem autem omnes canes tali odoratu sunt præditi, omnium etiam sanguis differet à menstruo illo mulierum, à quo siquidem rabies in nullo cane produci potest nisi ratione peregrini ætheris, quem ille per poros trajicit, necessariò omnes canes à sanguine menstruo mulierum exhibito rabiem conciperent.

V I.

Verum magna hîc se offert difficultas: Nimir. an illi homines, nullam omninò mutationem antea sentientes ab æthere Lunari per poros menstrui istius sanguinis fluente, postea tamen à cane tali rabido commorsi in rabiem agi queant? Quam difficultatem dum diligenter mecum perpendo, equidem planè negare non possum, quin à saliva talis canis in se considerata fermentationes sanguinis cujusdam viri, cum quo illa est communicata, aliquantulum excitari debeant, quandoquidem nonnulli etiam viri cætera sani certis phasibus Lunæ notabilem sanguinis copiam per hæmorrhoidas excernunt. Imò verosimiliter etiam robustissimorum hominum sanguinis motus à certo æthere Lunari nonnihil concitatur, etiamsi illi ipsi hoc in sese non animadvertant. Et quamvis ab eâdem saliva ratione istarum particularum, quibus à nostra differt, sanguinis motus itidem augeri debeat, hisce tamen rationibus eò adduci nequeo, ut credam, à saliva per os canis in rabiem conversi, uti perhibetur, à sanguine menstruo mulierum, infusâ in aliquam partem nostri corporis tantum sanguinis motum introduci in nobis posse, quantus in rabie percipitur.

V I I.

Quapropter, ut Auctorum observationibus fidem etiam non detraham, meo quidem judicio tantum per accidens rabiem canis contrahere potuit à menstruo sanguine mulierum. Quænam autem causa fuerit principalis, patebit ex *Thes.* x.

V I I I.

Manifestam etiam Hydrophobiæ *causam* vulgus statuit esse ver-

mem, qui in omnibus canibus in inferiori parte linguæ sive intra ipsius ligamentum reperitur, duos circiter pollices Mathematicos longus; coloris albicantis; substantiæ duriusculæ, continuè partes vicinas arrodens. Quam causam licet etiam alleget experientissimus ille Chirurgus *Job. à Mekren*, *cap*. LXII. in suis *observ.* ipsius tamen sententiæ suffragari nequeo. Et quidem inquit Auctor ille hisce verbis: *quod canes ex ventriculo excitatum sub linguis pruritum perferre haud valentes subitum sanguinis æstum contrahant, diebus maximè canicularibus, & hinc delirium*. Sed non video, quænam sit connexio inter pruritum sive insolitum fibrillarum nervi in lingua motum, & subitum sanguinis æstum: & quid obstaret, quo minus etiam reliqui canes, cum omnes talem habeant vermem sub lingua, fierent rabiosi, præsertim juniores, in quibus fibræ nervorum sunt tenuiores & magis mobiles? Equidem concedo, ex insolito isto fibrarum nervosarum linguæ motu in cerebro etiam paulò majorem conciliari motum spiritibus, qui illum quoque cum sanguine communicant. Verum quis tam insanæ mentis esset, ut judicaret, ex sanguinis motu nonnihil aucto, omnia rabiei phœnomena per se fluere? Neque dies caniculares æstu suo sanguinem alicujus canis, à continuis rosionibus vermis sub lingua plus solitò concitatum, ad tantam ebullitionem perducere valent, ut ex illa per poros arteriarum tanta particularum crassarum expellatur copia, quæ sufficiat æquilibrio spirituum in ventriculis cerebri tollendo, ita ut motus ab objectis externis impressi ad sensorium commune distinctè deferri nequeant; & quæ particulæ nihilominus ratione suæ magnitudinis tam rapido motu moveantur, ut sanguinis motum augeant potius, quam ut permittant, illum sive à causa aliqua externa sive interna imminui. Siquidem enim æstus ille canicularis tantum motum excitaret in sanguine canum, ille idem etiam in nostro saltem æque magnum si non majorem, produceret, qui fermentationes sanguinis naturaliter habemus potentiores, quàm canes, adeoque diebus canicularibus præsertim sanissimi in rabiem inciderent, quod falsissimum.

IX.

Ponamus tamen ex continuis rosionibus vermis sub lingua canem in rabiem agi, & invadere alium aliquem dentibus. Nunc unusquisque computet, utrum salivæ aliqua portio, ex sanguine tam

admodum volunt, talis canis derivata per
s & immota in superficie corporis alterius canis à
erati jacere possit, & tamen postea in tam parva quan-
totam massam sanguinis adeò enormiter agitare, ut eadem
phœnomena indè sequantur, quæ in priori cane, cujus sanguis
naturaliter vix, nisi ratione subtilitatis aut crassitiei à cujuscun-
que canis sanguine, differre potest. Itaque aliud quid latuisse de-
buit in isto cane (: quem vulgus falsò putabat rabidum factum
esse à continua rosione vermis sub lingua :) quod ex accepto
vulnere etiam alius canis aut quodcunque animal aut homo ra-
biem contraxerit.

X.

Quoniam vero canes famelici sese ingurgitant sæpe, etiam ad vomitum usque, talibus cibis, qui non conveniunt cum illorum sanguine & fermento ventriculi, adeò ut chylus copiosus & quidem crudus in sanguinem derivetur, unde tantus oritur conflictus inter hunc & illum, ut chylus etiam crudus in extremas corporis partes, quò ille aliàs non pertingeret, propellatur. Cum autem viarum angustia illi liberum deneget transitum, ecce obstructiones innumeræ in variis partibus à corde longissimè remotis, quæ, si illicò ab humoribus proximè sequentibus non referantur, fiunt tàm pertinaces, ut longam ibi moram nectant, quâ mora chylus ille crudus (: ob irregularem particularum figuram capacitatem tubulorum tam accuratè non opplens, quin adhuc remaneant quædam spatiola, admittentia particulas sibi respondentes sua magnitudine & figura ex humoribus illac transfluentibus, quibuscum lenissimam fermentationem ineundo :) cum tempore talem particularum magnitudinem & figuram, talesque poros acquirit, ut, quando à causa siue interna sive externa aliqua, qualis est dierum canicularium æstus, eruitur ex suo latibulo in sanguinem, ille adeò enormem ibi faciat ebullitionem, ut particulæ etiam crassiores (: quæ in ore ab aëre externo coagulantur in spumam :) non solùm ex arteriis pulmonalibus, vasis lymphaticis gulæ & salivalibus oris, sed etiam ex arteriolis cerebri copiose ejiciantur, quæ tantum abest ut subtiliorum spirituum motus ibi retardent, ut potius immensum illos adaugeant, adeoque spiritus, tam inordinato in ventriculis cerebri motu agitati, magno cum impetu erumpant per tubulos ner-

vorum:

vorum in universum corpus, & humoribus jam valdè concitatis tantum adhuc superaddant motûs, ut etiam illi, qui in superficie corporis circulantur, majori ruant copiâ ad vasa lymphatica, quam quæ ab illis commodè absorberi queat. Hinc anxietates illæ circa præcordia, & tam irreparabile spirituum damnum per sudores, ut ægro intra breve etiam temporis spatium sit è vita emigrandum.

X I.

Superfluum autem hîc foret speculari, quam accuratè magnitudinem & figuram qualesque poros habere debeant hæ particulæ, ut sanguinem dicta ratione agitare queant, quod scrutari Philosophi esset potius, quam Medici, quatenus Medici. Et quidem sufficit uno verbo hìc indicasse, particulas hasce necessariò fixas esse debere, sed cujuscunque esse posse figuræ, modo extremitatem unam vel utramque habeant acutam, & poros subtilissimos, trajicientes ætherem sanguini omninò inimicum. Neque enim particulæ salivæ sunt causa, cur venenum in superficie corporis per tot dies, menses, imò vel annos hæreat, cum illæ etiam, si veneni particulæ essent volatiles, inciderentur, & sic illud cum humoribus per istam partem circulantibus protinus introò subiret, licet fermentationes in illo homine à cane rabido demorso adeò robustæ non essent; quod contra experientiam. Præterea venenum hocce constare ex particulis fixis, porosque admodum stabiles habentibus demonstrant historiæ, quas recenset *Schenkius lib.* VII. *observ.* IX. §. 12. de carne porci à cane rabido commorsi. & *ibid.* §. 13. de carne lupi sævioris variâ ratione apparatâ; quod scil. omnes, qui de alterutrâ cocta comederant, rabie fuissent interemti. Quapropter venenum hoc volatile esse non potuit, tunc enim coctione avolasset in auras; sed cum illud poris tenaciter inhæserit, non potuit non esse fixum, & poris constantioribus præditum. Neque fixitas harum particularum obstat, quò minus rabies per insensibilem transpirationem & salivæ contactum, sine omni vulnere, communicari possit; quandoquidem ol. Tartar. P. D., quod nihil aliud est nisi sal fixus in aqua solutus, etiam transeat per stabiles poros ollæ vitreatæ, si in ea aliquamdiu coquitur; quidni igitur veneni hujus particulæ fixæ penetrarent per poros cuticulæ & cutis ductiles, usque dum contra glandulas (: quibus cutis refertissima est :) tanquam habentes

bentes poros minus sequaces, & fortasse etiam minores, sistantur; ubi particulas quasdam ex humoribus illac circumfluentibus transmutant, & tamdiu hærent, quamdiu nulla datur causa, quæ illas inde expellat. Sanguinem vero ingressæ & per totum corpus distributæ, ratione ætheris valdè peregrini illum susque deque movent; quo inordinato motu omnis generis particulis sanguinis (: illis tantum exceptis quæ ob nimiam flexilitatem efficaciam ætheris eludunt, aut ob suam volatilitatem avolant:) similes pori imprimuntur, quibus particulæ veneni sunt donatæ: unde sangnis sæpè intra biduum inhabilis evadit ad qualemcunque etiam fermentationem in ventriculis cordis suscipiendam; præsertim cum illi, spiritibus suis exhausto, neque alimenta neque medicamenta fermentationes refocillantia, ipsius ægri culpâ nulli consilio auscultantis, fuerint suppeditata.

X I I.

Unicum adhuc phœnomenon nobis explicandum restat: Nimir. *cur Hydrophobi*, vulgò ita dicti, *aquam fugiant*! Sed primò notandum, quod hoc non fit universaliter verum in omnibus, à cane rabido vulneratis; uti videre est ex *Observ. Chirurg. Hild. Centur.* I. *observ.* 86. *pag.* 61. & 66. ut & ex *schenk. lib.* VII. *Observ.* XIV. qui dicit, *rabidos homines*, supple ex observ. *Hild.* pag. 66. nonnullos, *aquam non timere, sed valdè sitientes eam admodum desiderare.* Hujus vero phœnomeni ratio cum hucusque in obscuro latuerit, operæ precium esse arbitror, illam quàm diligentissimè rimari. Itaque ut rem ab ovo, ut ajunt, exordiar, redeamus ad canem nostrum, in Thes. x. à potenti & copioso isto fermento ex parte aliqua solida corporis expulso in rabiem versum; quod agitando sanguinem proportionem particularum humidarum ad siccas, illas involventes, tam exiguam reddit, ut ille non nisi tardè intra vasa sua progredi queat, quamvis arteriæ adhuc multum distendantur. Hinc tam parva tantùm excernitur spirituum copia per poros vasorum cerebri, ut canis quasi ad se redeat. Quoniam autem canes, sicut omnia animalia, quoties humidum in sanguine deficit, naturæ instinctu id restaurare solent sufficienti aquæ potu, siquidem illam offendunt, hicce etiam canis sitim suam restinguet, quamprimum ipsi aquæ copia facta fuerit, quæ vix sanguinem erit ingressa, quin illius impetus sit auctus, & summa rabies canem rursus occupaverit. Fingamus vero hunc-

ce petere hominem aliquem dentibus, & adhuc alium canem qui postea etiam in rabiem acti & sitientes aquam non metuent, (: nulla enim causa metus:) sed potius illam expetent. Si itaque tam largè bibit æger, ut illius sanguis notabiliter fluidus fiat, necesse est hunc celerius circulari per totum corpus, & plures in cerebro generari spiritus, qui rapido suo motu in corpore diffusi anxietates facient atrociores: quæ cum valdè affligant ægrum, ille nullis postea persuasionibus eò adducetur, ut rursus humida assumat, atque sic ille quidem à liquidis abhorret, sed cum ratione,

XIII.

Verum enim vero cum alter ille canis à priori vulneratus sedaturus sitim aquam inspicit, radii luminis à superficie corporis canis venientes in aquam incidunt, qui, quoniam illius particulas juxta se invicem repentes è loco suo pellere nequeunt, repercutiuntur versus oculos canis, ubi fibrillas nervorum opticorum tunc eadem *ferè* ratione movent, ac illæ movebantur, cum hicce canis à priori morderetur, adeoque ille videns in aqua suam imaginem se in fugam conjicit, declinaturus illud incommodum, quod antea sentiebat ex vulnère. Dico autem *ferè*, quia eodem tempore, quo ita mõventur spiritus in tubulis nervorum opticorum, etiam ille motus ad sensorium commune transfertur, qui spiritibus imprimi solebat, quoties canis hicce aquam videbat, adeoque duplici isto motu spiritus à superficie sensorii communis reflexi disperguntur per totum corpus, illumque etiam sanguini impertiunt, & consequenter quoque particulis fermenti sanguinem agitantis; quæ itaque motu suo (: composito ex illo quo moventur ab æthere per illarum poros transfluente, & duplici alio cum illis ab aqua communicato:) se invicem atterentes talem figuram debent nancisci, ut, si fortè tunc hicce canis hominem aliquem momorderit, illæ eodem modo istius hominis rabie correpti sanguinem agitent ac illius canis, unde homo ille rabiosus aquam timet sine manifesta causa, adeò ut ne quidem istius nominationem ferat; & imaginaiionibus ut & visionibus horribilibus agitatur. vid. *Observ. Chirurg. Hild. Centur.* 1. *pag.* 62. quæ imaginationes non nisi circa canes versantès sunt tam distinctæ in illis, quorum mentes auscultare solent cuicunque determinationi spirituum, ut ne quidem objecta illa externa,

terna, quæ aliàs maximè ſenſus afficere ſolent, mentem ægri divertere valeant à talibus imaginationibus. Quapropter *ille inſtar canum latrat, domeſticos non agnoſcit, omnia dentibus arripit, atque modo hunc, modò illum mordere tentat.* Hæc verba ſunt *Hildani.*

XIV.

Rabies itaque *conſiſtit in rapido & inordinato ſanguinis humorumque omnium motu, quem excitat æther valdè peregrinus, communicatus à ſaliva canis rabidi diu aut minus diu in ſuperficie corporis hærente, aut cum aut ſine vulnere; Aut etiam introducitur ille motus ab uſu veſtimentorum ægri, aut per inſpirationem ſpiritus è pulmonibus cujuſdam rabioſi emiſſi, ſaltem frequentem & in loco clauſo: Cum irrationali interdum aquæ metu.*

XV.

Diagnoſis eſt manifeſta ex relatione ipſius ægri aut circumſtantium. Vel ſi adhuc dubitet Medicus, an canis etiam rabidus fuerit, qui ægrum ſauciavit, vulgò nuces juglandes contritæ vulneri imponuntur, quæ ibi per integram noctem relictæ poſtea objiciuntur gallinæ, quæ ſi inde moriatur, ſignum eſt canem fuiſſe rabidum.

XVI.

Prognoſis vix ullam ſalutem ægo promittit, ſi à fermento illo ſanguis jam ebullitionem concepit, quia rabioſi præter liquida etiam omnis generis alimenta reſpuere ſolent, & ſolis medicamentis curatio confici fere nequit. Si autem fermentum adhuc ſopitum jacet in ſuperficie corporis, malum facili negotio præveniri poteſt, ita ut æger ſine ullo incommodo ſalvus evadat, modo bonâ curandi methodo utamur.

XVII.

Curatio itaque eſt duplex: aut *in paroxyſmo*, aut *extra paroxyſmum.* Et quidem ad præcavendam rabiem æger tale quid minime cogitans præcipitetur in flumen aut mare, ut eò major illi inde incutiatur terror, atque ſic ſpiritus rapido motu ruentes ex ventriculis cerebri ejiciant venenum per poros corporis. Deinde ut illud omninò è corpore eluatur, æger aſſumat bolum ſeqq., ſuperbibendo hauſtum vini Rhenani calidiſſimi cum ſacharo:

℞. Theriac. vet. ℈iv.
Sal. abſinth.
Volat. ſuccin. ā. ℈ß.

 Croc.

Croc. pulveris. gr. xij.
Bezoard. mineral. ℈j.
M. F. Bolus.

qui etiam pro lubitu ægri in vino Rhenano ſolvi poteſt.

Vel ſi ægri aut loci conditio non permittit, ut ille ita projiciatur in mare, vulnus ſcarificetur, vel utcunque ſollicitetur ad emittendum ſanguinem, ut venenum etiam hac ratione educatur. Poſtea illud abluatur aq. Theriac. ſimpl., & ſuperimponatur Cataplaſma ex Theriac. vet. q. v. Cæp. contuſ. & Herb. acetos. minutim conſciſſ. a. aut ſi hæc recens haberi nequit, illius loco ſume ferment. pan. acid. q. ſ., & exhibeatur ſudoriferum modò præſcriptum.

Quando vero venenum Tragœdiam ſuam jam exercet in ſanguine, ſedulò curandum, ut illius impetus ſiſtatur, ita tamen ut fermentationes ſanguinis ſimul corroborentur: quod utrumque forſan obtineri poterit ſequenti medicamento, quotidiè reiterando.

℞. Terr. ſigillat. ℈j.
Bezoar. miner. gr. xvj.
Fol. aur. ſubtiliſſ. trit. N°. vj.
Margarit. ppt.
Lap. Prunell. a. ℈ß.
Camphor., ſachar. ſatur. a. gr. iij.
M. F. Pulvis.

Aut ſi hic non ſufficit, ſubinde adhuc exhibe ſeqq.

℞. Lap. Prunell. gr. xxiv.
Camphor., ſach. ſatur. a. gr. iv.
M. F. Pulvis.

Præterea juſcula ex pedibus vitulinis & vervecinis parata ægro ſunt ſuadenda, & cereviſiæ tenui & recenti infundantur aliquot guttæ ſpiritus nitri, modo non ſtatim in principio morbi æger ab omni potu abhorreat.

V. S. etiam multum hìc conferret ad impetum ſanguinis imminuendum, dummodo metuendum non eſſet, ne æger ſe ab una parte lecti in alteram projiciendo vulnus refricet, atque ſic in periculum mortis ſe conjiciat. Hæc tamen ſtatim in principio paroxyſmi ſine ullo ſcrupulo adminiſtrari poteſt, ſi Medicus in tempore advocetur.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

CO-

COROLLARIA

I.

Mania per morſum Maniaci communicari poteſt, uti Hydrophobia à cane rabido.

I I.

Quod quidam demorſi à rabioſo cane non inciderint in rabiem, nullo modo tribuendum eſt dentibus non venenatis, parti vulneratæ infixis; ſed potius largæ hæmorrhagiæ, quâ venenum ſimul fuit effuſum.

I I I.

In omni rabie à morſu canis rabidi orta adeſſe febrem affirmo.

IV.

Cor facultatem non habet ſeipſum movendi.

V.

Adeoque illud neceſſariò à ſanguine & humoribus, ut & ſpiritibus per totam ipſius ſubſtantiam diſperſis debet moveri.

VI.

Obſtructiones inter membranas ventriculi non rarò ſunt cauſa pinguedinis urinæ innatantis.

FINIS.

Cum

Post varia acquisitæ doctrinæ exhibitæ specimina

DOCTORALI LAUREA CORONARETUR

Nobilissimus & Clarissimus

DN. ANTONIUS LUDERS.

Paucula hæc:

Judicium, quantumque Tuum sit nobile Flumen
  Ingenii, nobis hæc tua scripta probant:
Quàm gnavus solersque novem Tu castra secutus
  Musarum, LUDERS, HYDKOPHOBIA docet.
Hinc *Doctoralis Laurus* Tua tempora cinget,
  Quam Tibi pro meritis, divus Apollo dabit.
Quod nostrûm, toto nunc pectore fausta precamur
  Quælibet, utque Tibi prospera quæque cadant
Det DEUS, & varias postquam pervisere terras
  Contigit, ut patriæ commoda multa queas
Ferre redux, tristesque scias lenire dolores,
  Sic miseris tandem dùlce levamen eris.

Gratulabundi posuerunt


J. P. D. V. N. D. L.

M. F.

ALIUD.

Sic juvat optatam cursu contingere metam
  Frigora sudores laudat & ornat honor.
Quæ nuper studii Medici documenta dedisti
  Publica, jam merito gloria summa manet.
Gratulor ex animo, pergas felicius usque
  Promeritam Laurum nobilitare precor.

Paucissimis hisce faustissima quævis Doctissimo Dno Candidato Amico suo sincere dilecto apprecari voluit, debuit.



J. G. S. M. S.

